

B. B.

DISSERTATIO MEDICA
DE

I R A

Quam

Consensu Gratiissimæ Facultatis Medicæ

In

ALMA PHILYREA

SUB PRÆSIDIO

DN. MICHAEL. ERNESTI

ETTMÜLLERI,

Philos. & Medic. Doct. hujus Professoris Publ. Extra-
ord. & Acad. Nat. Curios. Collegæ,

Dn. Patroni, Fautoris & Præceptoris sui
summo honoris cultu devenerandi,

Placidæ Philiatrorum ventilationi

exponit

ad diem X. Septembr. Anni MDCCV.

H. L. Q. C.

RESPONDENS

JOBUS CHR IST. GEBHARDUS,
Erfordiensis.

L I P S I Æ,

Litteris BRANDENBURGERIANIS.

XV





DISSERTATIO MEDICA

DE

I R A.

PRO O E M I U M.



Vemadmodum *omnis natura*, scribente *Cicerone*
de Finibus lib. IV. cap. 7. vult esse conservatrix sui, ut
et salva sit et in genere conservetur suo, ita omni ani-
mantium generi, ut idem *Tellius de Officiis Lib. I. cap.*
4. loquitur, *principio a natura tributum est*, ut se-
vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, que nociu-
ra videantur. Quam sui defensionem ut eo felicius susciperent
animalia, prater media & instrumenta, quibus data occasione
uti queant, stimulum pariter nostra sunt, quem Iram vocamus.
Atque videtur certe haec eo magis necessaria, quo magis com-
munis omnibus animalibus eadem obtigit. Nam

*Formicis sua bilsa inest et muriis ira,
Nil adeo vile est, quod se non vindice lessum
Utatur.*

Deterioris ergo omnino conditionis esset genus humanum qui-
busvis brutis, si affectata isti Stoicorum *ανάθεσι* & inter *αν-
ερδοξα* referenda *διαδησια* in illud caderet. Habet enim &
homo affectus, habet iram, de qua impræsentiarum pro virium
ratione pauca sumus commentaturi. Faxit D E U S feliciter!
§. I. *Ire* Etymon si quis ab *Ire* deducere velit, quod a se
beat quasi, qui irascitur, & ad se redire dicatur, qui iram depo-
nit, nos non habebit refragantes. Describimus autem eandem,

4
quod sit *affectus sensualis, aversationem injuriarum illatarum involvens, qua homo in varios resistendi seque vindicandi impetus concitatur, sive que corpori modo noxam, modo commodum infert.*

§. II. Dum *affectum* pro genere Irae ponimus, non in eo sensu eum acceptum volumus, sub quo in Medicorum schola communiter accipi solet, atque quemcunque corporis humani ejusque partium statum p. n. denotat. Est enim Ira, quemadmodum reliqua sic dicta animi pathemata, affectus maxime naturalis, seu spirituum perceptio, & commixtio ab objecti consideratione facta, ad varios motus hominem determinans.

§. III. *Subiectum* uti singulorum affectuum, ita & Irae sunt spiritus animales, per quos intelligimus moleculas corporis animati subtilissimas, simplicissimas, maximeque activas, cerebri mechanica modificatione & sanguine secretas, & mediantibus nervis ad omnes corporis partes derivatas, movendi & sentiendi virtute gaudentes. Quemadmodum enim hi debita alacritate praediti præter reliquias functiones, quibus præsunt, activitatem quoque suam exerunt in sensibus, quatenus objecta, oculis, auribus, naribus, linguae ac cuti impressa, certo modo apprehendunt, cognoscunt in visu, auditu, olfactu, gustu & tactu, retinent & combinant; ita accuratius objecta considerantes illa vel appetunt vel respiciunt, vel in intimiori contemplatione fixi quasi hærent, prout scilicet eadem vel grata vel ingrata vel insolita illis apparent. Videmus equidem hic munia animæ rationali competentia in spiritus animales conjectisse, verum enim vero qui penitus rem examinaverit, differentiam facile observabit. Scilicet non negamus, competere omnino quatuor illas operationes vel cogitationis intellectualis species menti, quas Cartesiani recentent
1) apprehensionem, ubi mens simpliciter animadvertis, 2) iudicium, ubi simpliciter affirmit, vel negat 3) ratiocinationem, ubi ex propositis aliquid probando vel improbando concludit,
4) Methodum, ubi ordine disponit cogitata. Nihilominus priores duas species solis etiam spiritibus animalibus tribuere nullus dubito, cum cadant pariter in *āloya ūa*. Porridge quæso cani far-

farcimen assatum, & baculum ejusdem magnitudinis, figuræ, coloris &c. apprehendet non solummodo canis, & utrumque oculis usurpabit & accurret, verum etiam judicabit; farcimen enim tanquam gratum objectum devorare desiderabit, a baculo autem tanquam ingratu objecto aufugiet, quia eodem vapulare poterit. At regeris, hac ratione cogitationes enti immateriali soli proprias brutis tribui materialibus; Verum ut taceam, cogitationes menti in quarto modo non competere, cum non sola mens, nec semper cogitet, si cogitationis vocem paulo latius accipiamus, hoc est, pro agitatione sensitivæ virtutis facta ab objectis impressis, nihil absurditatis hoc assertum continebit. Hanc autem acceptiōnē cogitationis Etymologiæ minime repugnare ex *Varro* & *Festo*, originem vocis a coagito deducentibus, probat *B.D. Langius in Physiologia sua Thes. XXV.* hancque materiam sufficiet sequitur.

§. IV. Dum autem spiritus animales pro subjecto iræ reliquorumq; pathematum habemus, non tamen penitus alteram hominis partem essentialē, animam rationalem ab omni co-operatione excludimus. Corpus enim & anima, DEO sic volente, tam ardo inter se combinata sunt vinculo in homine, ut ad certos in corpore motus certæ in mente fiant cogitationes, & vicissim ad certas cogitationes mentis certi in corpore oriuntur motus, utrumque mediantibus spiritibus animalibus. Quemadmodum ergo sensationes externæ non terminantur semper in organis & spiritibus animalibus, sed per hos menti offeruntur, ut fiant tandem ab hac conclusiones certæ, esse scilicet odorem rotarum, litorum &c. esse colorem rubrum, album, coeruleum &c. ita & pathemata per motum varium spirituum animalium mentem quandoq; simul afficiunt, hujusq; vel approbationem vel probationē expetunt; ita ut si debitum tempus concedatur mente, hæc super dictos motus reflectere, siue noxios aut minus convenientes judicaverit, saxe ipsos vel plane tollere, vel sopire, aut etiam ad comodiorem occasionem differre possit. Ex quibus patet, in anima pathemata tanquam in subjecto non hæxere, sed ad be-

ne esse aliquid tribuere. Certo enim certius est, quod dicit *Car-*
tesius de Passionibus Parz. II. art. 3. Id omne, quod experimur, esse in no-
bis, & quod videmus, etiam posse inesse corporibus plane inanimatis (ad-
do & animalibus brutis) soli nostro corpori tribuendum esse. Potest
nihilominus etiam anima intra se producere, atque ex se ipsa
quasi elicere tales affectionum ideas, dum scilicet cogitationi-
bis suis variis amoris erga DEum, odii, adversus peccata affe-
tibus agitatur; imo forsan in statu a corpore separato amore
Dei & admiratione immensæ ipsius bonitatis, sapientia & justi-
tia tenebitur: quæ παθητικα intellectuala, priora vero sensu-
alia commode dici possunt; quorum classi nos iram inseruimus.

§. V.

Veteres, qui tres animæ facultates fingebant, rationalem, ani-
 malem & vitalem, singulis his princeps aliquod membrum pro-
 sede & subjecto assignarunt; ita ut τὸ λογιστικὸν sive διανοητικὸν ce-
 rebro, τὸ ἐπιθυμητικὸν hepati, τὸ θυμοειδὲς, vulgo irascibilem
 & vitalem facultatem, cordi assignarunt. Sic cor pro sede & sub-
 jecto omnium affectuum habuerunt, cum hoc sit caloris fons,
 arteriis originem præbeat, & potissimum in affectibus alteretur.
 Sic n. Galenus de Hippocr. & Platon. Decret. L. II. cap. 1. Plerique in
 hanc sententiam propendere ac ferri mihi videntur, ut in pectori & pre-
 cipue eo in loco, quo situm est cor, quasi sentiant affectus, qui in mente acci-
 derunt. Et paulopost de Ira in specie hoc confirmat: Chrysippus
 veterem illam rationem videtur concedere, que fervorem quandam innati
 calorū, dum irascimur, in corde fieri opinabatur, quo quidem fervore
 postea efficitur, ut & facies infletur & totem rubescat, calecatque cor-
 pus, corque ipsum una cum omnibus animalis arteriis vehementer palpitet
 & saliat. Falsum tamen est, cor esse caloris naturalis fontem,
 qui potius sanguinis motui intestino in acceptum est referendus,
 illud autem ad circulationem huius promovendam unice est for-
 matum; adeoq; nec excandescenxiæ auctæ in ira author est. Multo
 minus ab arteriarum ex corde ortu ad hanc iræ sedem argumen-
 tari licet, si quidem non sanguis est, qui primario afficitur, sed spi-
 tus; & quem cordis motum ab affectibus animi varie turbari, in pro-
 patu-

patulo est, effectum potius illorum pathematum non immediatum, sed mediatum i. e. a spirituum animalium exagitatione extraordinaria emergentem pronuntiare decet; ut rem Magnifici nostri Decani, D. Bohni in Circulo Anatomico Progymn. VI. p. 113. explicare liceat. Ita ut haec hypothesis sponte sua ruat.

§. VI. Multo minus audiendi sunt illi, qui hepar, vel quam hoc elaborat, bilem huic παθήσει præficiunt: quemadmodum Græci verbum suum χολόμενη i. e. irascor, à bilis effusione formasse videntur, & Claudianus in Carmine de quarto Consulatu Honorii canit:

At sibi cuncta petens nil collatura cupido
In jecur & tractus imos compulsa receffit,
Quæ velut immanis referat dum belluarictus,
Expleri pacisque nequit; Nunc verbere curas
Torquet avaritie; stimulis nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nunc mœsta dolet, sanataque rursus
Exoritur, casaque redit pollutius hydra.

Unde forsan Germani suum de iratis traxerunt proverbium: Es ist ihm die Lauf über die Leber gelauffen dicentes; i. e. hepar ad bilem ejiciendam est stimulatum. Bilis enim, quæ effundi debet p. n. sub excandescientia aut ex hepate ad sanguinem, aut ex folliculo ad hepar, aut ex utroque ad intestinum duodenum effundetur. Non autem ex hepate ad vasa sanguinea regurgitare potest, quia nullus humor in corpore ex sanguineo laticelecretus ad eadem arteriarum vasa capillaria redire potest, à sanguine novo priorempresso pede in sequente impeditus; nec id ex folliculo fellis per radices cysticas expestandum est, cum neflatum quidem haec admittant; nec per ductum cysticum ad hepar regurgitatio haec concipi potest, cum hic oblique sub angulo acuto in ductum cholodochum inseratur. Ergo forsan ad intestinum duodenum & ventriculum talis effusio contingit? Non negamus, siquidem hoc vomitus biliosi & mulierularum post alterationes querelæ quotidiane, non semper spernendæ: es sey ihnen die Galle in Magen getreten, sat testantur. Nihilominus tamen, quem

quemadmodum nec fœces alvinæ, vel lacrymæ, sub excandescencia effusæ, ita nec bilis tum temporis in majori copia excreta pro causa & subjecto, sed pro effectu iræ haberi commode potest.

§. VII. Pergimus ad *Objectum*; ubi in genere monemus, nos non ex illorum partibus stare, qui animi pathemata tantum vel desiderium vel aversionem involvere perhibent, siquidem admiratio & stupor inter affectus suum obtinentes locum, in neutro horum, sed in diuturna & singulari objecti consideratione consistunt; quin potius objecta vel grata vel ingrata, vel rara & insveta esse pronuntiemus. Ad medianam classem iræ objecta speiant. Sed plura dantur animipathemata, quibus malum averfamur, odium puta, tristitia, metus & terror. A quibus tamen omnibus discernitur ira, quod se vindicandi cupiditas sit conjuncta. Infinita jam adduci possent talia objecta, super quæ irascimur, omnia tamen in eo convenire videntur, quod in juriam aliquam inferant, vel inferre videantur. Contemtus enim, quem solum quidam accusant, ad injurias commode referri potest: ut tactem, alia dari objecta, quæ absque contemtu ad iram provocare norunt. Sive igitur tactus, sive visus, sive auditus, sive aliud organum ab objecto ejusmodi ingrato afficiatur, vehemens oritur in spiritibus commotio, sub qua ad resistendum, se defendendum, paria referendum, uno verbo, ad vindictam disponuntur & determinantur Spiritus. Qua quidem vindicta licet nobis bona, grata & jucunda, doloris nostri quasi lenimen quoddam & justa satisfactio, seu obliteratio quasi quoddam noxæ fit, ita ut si pro votis vindicta succedat, de ea gaudemus, quia nobis satisfactum putamus, id est, quod dicere solemus: Mann hat sein Mühlgen gefühlt. Nihilominus id, quod nos ad vindictam commovet, semper malum est, vel esse videtur. Non autem omnis injuria, si vel maxime vera sit nos semper ad iram propellit; quemadmodum amicorum sœpe verba contumeliosa & injuriosa æquo animo perferimus, donec intervenientibus aliis pacis infensissimis hostibus, justam irascendi causam persuaderemus.

tibus, post deliberationem ab anima rationali factam spiritus demum in ultiōnē adigantur. Opinio igitur est, quā ab injūtiis lāsos nos esse dicitat, & a duabus potissimum causis prognoscitur, a veritate & errore. Ab errore concitata ira præcipitationi & debilitati spirituum, temperamentum & consuetudinem sequentium in acceptum est referenda, qualis scilicet in infantibus, mulieribus & ægrotis quotidie observatur, canis iræ, dominum suum, a quo ex improviso fuit calcitratus, mordentis & qui paranda; cum vicissim judiciis & magnanimitates viri raro in iram dilabantur. Quā autem justa est ira, vel a veritate producitur, ex justa offensā astimatione ortum suum dicit, dum ad mali magnitudinem, personas, locum, tempus & causas reflectitur.

§. IIX. Ad impetus pergitus, ad quos iratus homo sub hoc affectu invitatur; Et profecto si in ullo alio, certe in hoc pathemate facies a constitutione sua naturali maxime recedit. Vulnus enim est horridus & truculentus; oculi rubent, scintillant, rapido hinc motu & ad latéra feruntur, modo in eodem sustinuntur, & diversorum suum relinquere videntur; supercilia modo elevantur, modo deprimuntur, modo contrahuntur, lacrymæ profluunt, frons corrugatur, capillus assurgit in altum, nares ampliantur, labia inflantur & contremiscunt, comprimuntur, in risum contemptu plenum formantur; Vocem edunt irati raucam, horrisonam; Loquela habent præcipitem subfultim expressam & interruptam. Porro ira minas, probra, convitia, lamenta aliaque id genus suggerit. Caput mille modis agitatur, sulpuria ducentur. Totum corpus rubore ac fervore suffunditur, expiatio crebrior. Membra robore insigni prædita, ut objecta saepe validissima superent, musculi totius corporis subfultantes, pulsus magni & vehementes, hinc tot voces inconditæ, gestus incompositi, nullus amicorum consiliis, nullus Majorum monitis, nullus Parentum lacrymis locus; Hinc præcepit incessus, venarum & colli inflatio; distorquet iratus brachia, terram pede quatit, insurget, insilit, percutit, per tela, per ignes, in media ruit pericula, quæ pro nibilo dicit. Cuncta pessima & extrema adversus hostem meditatur, omnis alterius cogitationis ac præ-

Sertim objurgationis impatiens, vix suos & sua agnoscit; si pro votis vindicta succedat, illico triumphat, insultat insolens ac de illa gaudet. Sin vero vindictam non exequatur, agitur in rabiem, ira magis accenditur, dentibus stridet ac frendet, spumat, cuncta projicit, ac rumpit, sibi manus infert, vel adversus ea, quæ sensus omnis sunt expertia, excandescit, & quod sunt alia id generis. *Φανόμενα.*

§. IX. Quæ horum phænomenorum sit ratio, facile intellegitur, si supposuerimus, spiritus animales in hoc affectu motu sibi alias ordinario gaudere vehementiori, & quidem nunc respectu totius corporis, nunc vero respectu certarum partium, ad quas determinantur & insimul inæquali: deinde eorum activitatem maximopere augeri: indeque motum sanguinis reliquorumque humorum itidem accelerari. Et quoniam nervi & vas a sanguinea ad omnes omnino corporis partes abeunt, spiritusque animales infundunt, quid mirum, quod omnia membra inordinati hujus motus participes fiant, signaque ejus sat manifesta pròdant. Spiritus enim dum impetuolo motu in facie musculos influunt, hos inflant, nihilque omittunt, quod ad terrendum hostem, vindictamque felicius sumendam facere possit, inde vultus horridus ac truculentus. Rubent oculi, quemadmodum & vultus & reliqua corporis superficies extraordinario perfunditur rubore, quoniam sanguis ebulliens quasi & rarefactus ad minima vas a capillaria summo cum impetu fertur, fibrarumque interstitia replet & distendit. Scintillant oculi, sanguis enim non solum rarefactus est qui ex infinitis arteriolarum myriadibus per oculi tunicas disseminatis & a Ruyshio Epist. Anat: Problem. XIII. depic̄tis translucet, verum eo ipso, quod oculi bulbus magis dilatatus est, potest tunica xopœdic̄ colores suos per corneam expansam magis, abstersam & propter exastuationē & calorem auctū omni humiditate privatam felicius transmittere. Varius oculorum & superciliorū motus modo rapido, modo in æquali spiritu animaliū influxui debetur. Quod lachrymæ profūant, non solum ex dolore, quæ imbecillioris conditionis homines ab omni

omni se vindicandi potestate exempti perpetiuntur, exurgit; verum etiam partim, quoniam oculorum glandulae spasmodici seu convulsivi quid patiuntur, hincque humidum suum uberior fundunt, partim quoniam haec in majori justo copia expressa humitas per ordinaria excretoria vasa propter palpebrarum inferiorum intimationem & intumescientiam compressa ad nares descendere nequit, sed collecta genas humectat. Propter quam spasmodicam contradictionem curis pororumque angustationem capillus & in brutorum tergis pili elevantur & ad principium seu radicem suam quasi retrahuntur. Labia inflantur; sunt enim spongiosa corpora, quae ebullientem & cum impetu appulsum sanguinem in majori copia quam dimensum ordinarium fert, admittunt. Centremiscunt eadem, non tam quia effusa bilis in ventriculum vomitum minatur, sed motus convulsivus subest, στασις τρομός dictus & ab ordinato spirituum animalium in plures labiorum muscularos influxu dependens. Cui se jungit στάσις κυνηγί, utraque faciei pars simul convellitur, ita ut dentibus strideat, frendeat, atque ridere videatur iratus, canum in star, qui adverterios adoriri parant. Sed non vultus solum inordinatis hisce motibus patet, sed ferit quoque explosiva haec vis partes tam internas, quam externas, viscera pariter atque artus. Dum enim tanto cum impetu in cor fluunt spiritus, hujus systolicam virtutem augent, ut sanguis ex ejus thalamis summa cum vehementia expulsus vix intra vasa sua coerceri queat, quin rarefcens disrumpere ea videatur & pulsus magni & vehementis author existat. Multo minus in pulmonum solennem & ad aerem in sufficieni copia admittendum necessariam expansionem consentiunt, sed vesiculas eorum constringendo liberum eius accessum impediunt, hinc ad suspiria ducenda invitant hominem. Nec expiratio melioribus subjecta est satis; cum enim omnes totius corporis musculi propter impetuofum & irregularē spirituum influxum trepidant quasi, convellantur & subsultent, illi pariter, qui aerem ex pulmonibus iterum ejiciunt, suum officium non placide, sed interruptim & cum impetu praestant, & loquaciam præcipi-

cipitem, subsultim expromptam & interruptam efficiunt. Cumque asperiæ arteriæ glandulæ à spasmis constrictæ uberiorem fundant lympham, vox non nisi rauca & horrifona editur. In oris concameratione glandulæ & ductus salivales propter eandem spasmodicam affectionem & sanguinis ebullitionem salivam copiosorem suppeditant, quæ modo frequentius expuitur, modo conquassata in spumam elevatur. Sic denique artuum motus varii instabilesque ab inæquali & aucta spirituum in eorum musculos effusione dependet, & quemadmodum hi eo magis inflantur, indurantur & contrahuntur, quo majorem & spirituum & sanguinis copiam recipiunt, ita non mirum, quod singulare eorum hominisque robur sub iræ incandescentia observetur, imprimis cum extraordinaria spiritibus tum insidet activitas seu elasticitas. Quemadmodum igitur negari non potest, in homine motus spirituum menti communicari, hancque, si debitum tempus sibi relinquatur, eosdem dirigere, præcipue si morigeros nata fuerit spiritus, ita accidit quandoque, ut dictamini recte rationis repugnet anima hec materialis (i.e. spiritus) & frenum a ratione injectum non modo mordeat, sed etiam calcitrando contra has habenas easdem rumpat, & hinc quaqua versum equi effrenis ad instar feratur. Hoc si contingat, non solum omnes functiones a spirituum motu dependentes turbantur, sed sanguinis rarus reliquorumque humorum cursus quoque in circaëis adigitur, ac ipsi animæ rationali simul alterationes notabiles inducuntur; imo si standem illa plane superior facta hanc captivam ducat, miserrima omnino fit homini conditio, quia eo ipso bestialis non tantum simillimum redditur animal rationale, sed & deteriorius longe evadit, ratio namque brutalis facta ad omnem excessum ducit, ut B. Langius in diff. II §. 10. rem explicat. Hinc sub hoc fervore homo nec amicos cognoscit, nec consilia eorum audit vel admittit. Si quidem ut objecta visibilia & audibilia sensationem excitent spiritus requiruntur tranquilli, animaque tranquilla; sub hac autem ex candescentia & effero motu spiritus objectorum impressiones in organis non percipiunt, multo minus animæ rationali repræsentant, ut super illas reflectere atque judicium formare possit.

§.X.

§.X. Non tamen omnia in omnibus iracundis *Qavóuevē*
 semper junguntur, quin modo hæc, modo alia in hoc illove sub-
 jecto occurrant, imo contraria quandoque observentur; ita ut
 tantum absit, ut rubore perfundantur quidam & columnias effu-
 tiant, ut potius palleant & obmutescant. Cum enim ira dolo-
 rem semper habeat conjunctum propter illatas injurias, & terror
 pariter quandoque se hisce admisceat, quando scilicet quis con-
 tumeliosis afficitur verbis, mirum non est, spir. animales fieri qua-
 si in principio attonitos i. e. figi, & de motu suo desistere, adeoque
 nec ad vocis organa satis influere, sanguinemque suam circula-
 tionem debite non absolvere, multo minus effectum suum, qui est
 rubor faciei, præstare posse, donec tandem justa vindictæ causa co-
 gnita ad se redeuntes spiritus eo vehementius moveantur & in
 membra ejiciantur. Nec omnes æque homines ad iram sunt pro-
 pensi; siquidem alios cito, tardius alios ad iram provocari, quoti-
 die observamus. Cujus ratio partim in spiritus animales, & humo-
 res, partim in animam rationalem conjici posse videtur. Quicun-
 que enim spiritus per se maxime mobiles & activos, humoresque
 tenues & acres possident, a levi occasione in motus enormes con-
 jicere se patiuntur: Econtra quorum spiritus minus mobiles hu-
 moresque crassi, viscidiq; sunt, illi magis ordinario contra excan-
 descentia motum renituntur; ad instar globuli, qui facilius mo-
 vetur, quando jamdum in motu constitutus est, atque ille, qui im-
 motus quiescit. Ita & illi, quibus obfirmatum magis est judici-
 um & hinc injuriam veram à falsa dignoscere norunt, remque
 probe perpendunt, antequam eandem exequantur, raro excan-
 descent; cum vicissim, qui res suas in consulto peragunt, factum-
 que deliberationi anteponunt, à vilissimo objecto facile irritan-
 tur. Hinc ad iram proni magis sunt cholerici, non quasi multa
 bile gaudent, sed quod sanguinis particulas attenuatas, facileq;
 mobiles, & humores tenuiores obtinent. Spectant huc phthisi-
 ci, quos vel muscā in pariete errans irritare quotidiana docet ex-
 perientia, quatenus à tabo humores acriores redditī & in mixtu-
 ra sua naturali turbati vel levissimis irritantibus promptissime au-
 sculant. Referuntur huc communiter mulieres, siquidem *non*
est

est ira supra iram mulieris, dicit Ecclesiast. cap. XXV. & Seneca Lib. I. de Clementia: Muliebre est, furere in ira; Propter substantiam enim laxiore tenuiores atque magis mobiles natæ sunt humores, impensis cum propter animi imbecillitatem non semper in deliberationem trahant, quæ ipsis obveniunt, nec motus componere fluctus aut ad commodum tempus differre, i. e. affectibus imperare norint; prout id sapientiores facere solent viri. Nec ex hac classe eximendi sunt pueri, qui præter humorum teuitatem & fluxilitatem judicii laborant defectu & vel salutaria consilia pro injuriis reputant, siveque contra monitores calcitrant.

§. XI. Ex haec tenus dictis patet, spiritus animales sub ira fervore non solum in motum conjici rapidorem & inæqualem, verum etiam in activitate sua maxime augeri, imo humores & massam sanguineam praecipue celerius justo circulari. Videntur tamen humores præter hunc motum auctum plura perpeti. Juxta Honorati Fabri sententiam *ex vehementi humorum agitatione partes bilis colliguntur, itemque alii humores homogenei; colliguntur autem propter uliginem; analogiam habes in butyro, cuius partes per agitationem colliguntur; que sane analogia rem hanc ob oculos ponit.* vid. Tractat. de Homine Lib. V. propos. 47. Econtra la Chambre des Charreres des Passions Vol. II. cap. 3. humores malignos agitari atque separari sub ira existimat. Quicquid hujus sit, certo certius est, circularem pariter ac intestinum motum sanguinis & reciprocum utriusque & cum aere ambiente relationem vitalitatis magnam constituere partem; eamque adeo singularem esse, ut sive cum fermentatione sive cum ebullitione sive alia quavis actione rerum naturalium comparetur, & in uno altero conveniat, in multis tamen disparitas insignis observetur. Circularis enim intestinum variat, hic illum, prout ab atmosphera aliisque rebus non, naturalibus afficitur, modo plus rarefit, modo condensatur. nunc inhibetur; omnium vero durante vita mutuum quasi temperamentum est. Vid. hanc in rem *Orlobii Histor. Partium Dissert. III.* Hinc quamdiu æquabilis & temperatus est uterque motus sanguinis, omnes in œconomia animali ex naturæ præscripto & pro organorum conformatioone congrua humorum sub debita quantitate

Sensu Lib. I. de
tantiam enim la-
humores, imprin-
in deliberatio-
componere flu-
tibus imperare
Nec ex hac clas-
tem & fluxi-
ilia pro injur-
nales sub ira
iniqualem,
humores &
ari. Viden-
ra perperi.
agitatione
liguntur au-
tes per agi-
s ponit. vid.
re des Chara-
citari atque
tus est, cir-
reciprocum
is magnum
sive cum
ne rerum
in multis
in intelli-
ebus non,
atur. nunc
tempera-
Differt, III.
is sangu-
pro or-
quantita-

tate & qualitate fiunt secretiones. Jam finge, circularem sanguinis motum maximopere intendi, (quemadmodum in ira omnino intenditur) necessario intestinus ejus motus itidem laeditur, & in mixtura sua debita massa sanguinea turbatur, ac tantum abest, ut humores in debita quantitate & vitalitatis charactere imbuti secernantur, ut potius copiosiores & cadaverosi ex suis colatorii emulgeantur; imprimis cum cachecticum alias praextiterit corpus. Hinc Roflinccius in Consil. Medic, p. 715. infernalem vocat Megeram iram, qua suam dum exerit rabiem, furiosa bilis commotione totum corpus concutit, sanguinemque una cum aliis humoribus conturbat. Quemadmodum autem singularis ille supra dictus & naturalis sanguinis motus verbis satis exprimi & delineari haud potest, ita certe ardua res est, modum describendi, quo humores ita alterari & corrumpi queant. Inde certe est, quod sub vomitibus talismodi excandescientiam quandoque comitantibus liquamina cadaverosa non solum per os rejiciantur, verum etiam, quæ in ventriculo restant, quicquid assumitur, in sui indolem transmutent: usque adeo diffusum & multiplicativum sui, fermenti ad instar, existit tale virus. Præter Exempla, quæ quotidiana subministrat experientia, refert Riedlinus in Linearum Medicarum Anno IV. pag. 912. de Muliere nonagenaria, que, cum ex improviso filia natu minima linteal quadam preiota combusisset. inde tantum huic affectui indulxit, ut curi presertim filia natu major postea amice, ut quantum sibi in damnum inferret, consideraret, monuissest, fere furere incepit, at quanto cum sanitatis damno, paulo post experta fuit. Licet enim ante hanc iram sat integra gavisa fuerit sanitate, jam non solum statim facies peregrino obducta fuit colore, ut mutationem in ipsa quivis notare potuerit, verum & vomitus aliquoties instances ventriculum valde concusserunt, aliusque brevi temporis spatio multoties soluta vires non parum prostravit, ut & ad has redintegrandas & humoris suo motui restituendos medicamentis operis habuerit. Inde etiam est, quod irati sub excandescientia cibum capere prohibeantur, ne effervescentes adhuc & in ventriculum effusi pravi humores alimenta pariter depravent, cruditates pariant, & M. S. magis inquinent. Inde est, quod vomitus artificiole moti adeo egregie tam revellendo, quam evacuando condu-

cant

cant; sub quibus insimul bilis rejecta de sui propter sanguinis motum nimium & hepatis ductuumque biliariorum spasmodicam contractionem copiosa ad intestina effusione, & ex his ad ventriculum regurgitatione abunde testatur. Inde est, quod nutrices post altercationes alumnis suis mammas præbere interdicantur, ne pro blando dulcique nutrimento noxia talia liquamina, venena & mortem ipsam iisdem instillent; quos certe errores tenelli infantes torminibus, pavoribus & insultibus epilepticis alias luere coguntur. Et notatu dignum est exemplum quod *Albinus* observavit, & in *Disputatione de Atherapeustia Morborum* his verbis descripsit: *Infans unius anni cum ubera matris, dum præira exfluaret, fugebat, ex oculis, auribus, naribus, ore, ano atque pudendis leibale passus est sanguinis profluvium, matrisque furentem affectum morte expiavit.* Et *D. Johannes Georgius Sommerus in Miscell. Natur. Curios. Dec. II. Ann. II. obs. 172.* de matre quadam refert, filiam duorum mensium latente, quæ post ira excandescientiam inconsiderate filiæ mammas à virore plus quam bilioso nondum liberatas porrigens paulo post eandem habebat epilepticam & post octo horas mortuam. Inde tandem est, quod etiamsi dentes ex se innoxii sint, & que ac saliva, his tamen saepe immedicabile aut certe pericolosum infligatur vulnus, ubi ira vehementior eosdem armavit in perniciem. Sic refert *Hildanus Cent. I. obs. 85.* de Viro, qui ab alio furiosa ira percito ad primam articulationem pollicis graviter fuit morsus: *Hinc statim exortus est dolor vebemens per totum brachium, neglecto ab initio morsu, dolores reliquaque symptomata singulis momentis ingravescebant.* Quarzo die accessitus *Chirurgus* febricitantem ipsum comperit, syncope sidem aderant & dolor acutissimus; pollex item usque ad carpum correptus erat phlegmone, que postea in putridum & finuosum ulcus degeneravit. Morsus lividi erant, ex quibus subtilis, acris & foetidissima materia effluxit. Piura qui desiderat exempla adeat eundem *Hildanum Cent. I. obs. 84.* & *Cent. IV. obs. 87.* *Glandor pit speculum Chirurg. obs. 49.* *Panarollum Pentec. II. obs. 42.* *Zacutum Lusitanum Lib. III. Prax. admir. obs. 88.* *Job. Jac. Breuning Itiner. Part. IV cap. 4.* *Neutschiz Part. III. Lib. II cap. II.* Quemadmodum etiam alia animalia alias innoxia, si in furorem agi-

agitentur, morsibus suis venenum communicant aliis, quorum Catalogum solerter collegit B. Ettmüllerus in Dissertatione sua Inaugurali de Morsu Viperae Punct. V. S. 6.

§. XII. Ex his facile quis intelliget, verum esse Zenonis effatum Iram τὸν ῥαγὸν πάντες οὐκ εἰποῦσι apud Plutarchum de Ira conduta vocantis. Quid enim de FEBRE dicam? Ira, verba sunt Per-gameni de causis Morborum cap. 2. quae fervor quidam est existentis in cor-de caloris ob immodaratum motum, per totum nonnunquam diffusa cor-pus febrem accedit. Ephemeris enim febres incidere iratos præter experientiam quotidianam testimonia & exempla à Zaccuto Lusiaco Lib. IV. Med. Princ. Hist. 5. Lotichio Lib. I. cap. I. obs. 3 Gabelchove-ro Cent. VI. cur. 92. in annotat. & Hildano Cent. I. obs. abir. 17. loquuntur, quemadmodum idem Hildanus obs. 18, hominem se cognovisse dicit doctum, qui facile ex ira in febrem ut plurimum ebemeram, nonnunquam & in tertianam incidebat, non sine magno periculo. Suoque haud raro damno puerperæ hic loci docent, ex ira purpuram ut plurimum fatalem contractam esse. Certe qui cum Hippocrate de Na-tura Hum. text. 27. plerasque cum Jenibero Dec. II. Paradox. 3. o-mnes febres à bile oriri existimant, hujus ad sanguinem effusio-nem febres accedere pronuntiabunt. Nos in spirituum ἡταξία & motum præter naturalem febriū formalitatem rejicientes, si ponderemus Οὐνόμενα, iræ ac febribus solennia, una eademque esse, febres non solum propter motuum similitudinem ex ira fa-cile accendi posse, credimus, sed commode iram febrem natura-lem & febrem iram præternaturalem vocamus, Campanellam se-cutu, qui dicit: Ira per se sola & essenti sliter febris est, sedem habens in potestatio, nata ab appetitu propriandi malum, quod cognoscitum percepit, judicavitque esse propulsandum vel extingendum. Inde sequitur potestativi commotio in calore & tenuitate. Ira hec non excitat fe-brem, sed est ipsa febris. Consentit nobiscum Pechlinus Lib. III. obs. 25. Quicquid demum de Ira sit, inquiens, haud inepte dixeris & morali quidem sensu, furoris repentini esse illam speciem: sin physice eam intu-caris, febriculam esse aut ebullitionem fluidorum solstitiale, quam se-rursum juxta circumstantias & motus eccentricos consideres, apparebit,

C

con-

convulsionis aut epilepsia quandam umbram esse, in quam tamen etiam, si buc corpus propendeat, ex facili mutetur.

§. XIII. De Vincislao Bohemorum Rege testatum reliquit *Dubravius Lib. II. Hist. Bohem.*: quod Anno 1418. cum fortuna percutus pugionem evaginasset, ut Prægustatorem occideret, qui Husitorum tumultum Pragæ, duce Zisca, excitatum Regi sciens non aperuisset, à circumstantibus detentus pugionem amississet, ne Familiaris cæde Regiam Majestatem coinquinaret, in illorum manibus APOPLEXIA correptus post aliquot dies mortuus sit. Sic de Matthia Hungariæ Rege prohibet *Joach. Cursus in Silesia Annal.* quod cum in secunda mensa fieus recentes ex Italia allatas posceret, easque ab aulicis consumtas audiret, tantæ exarserit iracundia, ut apoplecticus corruerit, & sequenti die fatis cesserit. Potest enim APOPLEXIA iræ supervenire, quando in phlegmaticis multum pituitæ in cerebri canaliculos infunditur, vel in cholericis sanguis extravasatur, siveque nervorum principia, per quos spiritus animales ad partes pro motu sensuque præstanto amandari debeant, occluduntur. Et cum MOTVS CONVULSIVI & EPILEPSIA ab inæquali & vehementi spirituum in membra effusione dependeant, quis hos affectus ab inordinato horum sub ira motu concitari posse, siveque iram juxta *Peculiarum* §. antecedent. laudatum umbram quandam horum morborum, negabit? Refert *Platerus Lib. I. obs. pag. 37.* de Capitaneo quodam Helveticō, viduam juvenculam divitem ducturo, cum sponsalibus indictis in contractu matrimoniali inter fratres sponsæ ipsumque de donatione propter nuptias non conveniret, ipsaque, quod ab illis impediretur, quo minus sposo, quantum cupiebat, donare & legare posset, cum ira percita a coena nuptiali abstinuisset, noctu cum sposo dormiens convulsionibus subito extincta est. Et *Johannes Matthaeus in Qv. 8ed. 27.* dicit: *Cum in aula Illustris Principis Ernesti Friderici, Marchionis Badensis, Ejus Cellitudinis Cubicularis Johannes Beckler Juvenis plethoritus gladio okiuso, ut esse solent, quibus se pugiles exercent, ab imberbi adolescenti in palpebra inferiore leviter contunderetur, ira & indignatione astuans agerrimeque ferens*

ferens, quod a puerū & discipulo suo vinceretur, in gravissimam convulsione epilepticam incidit, que quatuor l. quinque horarum spatio vita & nervi fecit. Plura qui vult, adeat Gabelchoverum Cent. IV. cur. 59. & Redlinum Lin. Medic. Ann. VI. p. 45. Spasmodis pariter debetur PARALYSIS, irae pedissequa; quatenus sub spasmodica nervorum fibrarumq; contractione spiritus animales in hunc vel illum nervum non sufficienter influere, hinc l. motum l. sensum, l. utrumq; parti, ad quam ablegantur, largiri nequeunt. Cujus exemplum nobis suppeditat Tulpus in Obs. Med. lib. II. cap. 20. in Solimanni uxore, quam intempestiva iracundia protinus à partu in paralyсин sinistri lateris conjectit. Quid quod paralyticæ musculorum laryngis constitutioni adscribenda sit APHONIA in Nausimenis Atheniensis uxore, que cum filii & filia stupro intervenisset, inopinati monstri perculta conspectu, & in præsens tempus ad indignandum & impigerum ad loquendum obmutuit, prout refert Valerius Maximus Dicit. Fact. Memorab. Lib. I. pag. 57. Et de Valentianino I. testatur Sigonius Lib. VII. Imper. Occid. quod ob responsum a Quadorum legatis latum tanta ira accensus fuerit, ut subito cum eis objurgare cum capisset, tanquam telo aliquo ictus vocem simul & vires amiserit, brevique temporis intercedente animam exhalaverit. Nec incongruum est TREMORIS hic commemorare, qui ab inordinato itidem spirituum influxu dependet; quatenus Felix Platerus l.c. p. 50. dicit: Cum profectus esset ad Profecti cuiusdam uxorem Anno 1604. in Novembri ad inspicendam pelliculam in oculo natam, maritus ea nocte, ancillam cum famulo molitoris concubuisse, certior factus, matutino tempore domum reducem ancillam, capillis correptam & bumi stratam pedibusque pulsans adeo ira excedavit, ut statim dyspnoea correptus & tremore sibi potius quam uxori consuli opus habuerit; Verum antequam remedia adhiberentur, venam Chirurgi consilio aperuit, sed nibilis levatus perseverante dyspnœa & tremore, totiusque corporis prostracione biduo post expiravit.

§. XIV. Iram FUOREM BREVEM vocat Horatius Lib I. epist. 2. & Epicurus interrogatus, quid efficeret Ira, eandem si immodica sit, parere insaniam respondit. Et quid mirum? Immorigeri enim spiritus in motus præternaturales concitati ex-

cutiunt rectæ rationis jugum, nulla admittunt consilia, in scopolos, in saxa ruunt irati, quem eos male sanus impetus pellit. Refert *Lucianus in Cynico*, equitem furibundo equo consenso, præcipiti cursu per avia & devia abreptam, & quo tam concitate pergeret, rogatum, respondisse: quo illi, monstrando equum, libitum est. Haud aliter de homine in iram conjecto sentiendnm. Pergit ille, non quo ratio vult, aut DEus, sed quo ira ipsum abripit. Et velut undosis fluctibus agitata cymba, rectore jam subter maris potestatem, amissio clavo, redacto, pellitur, tandemque in voragini absorbetur, ita præcipitio nemo magis obnoxius, quam homo iratus, ut proin *Xenophon* ferociam in equis iracundiæ hominum similem haud falso pronuntiaverit, neq; in congrue ideo vulgari parœmia, ubi quis incandescere coepit, equum inscendere dicatur. Hinc non ruunt solum irati cœco impetu in adversarios, eosque quandoque interimunt, ut Alexander Clitum, apud *Curium Lib. IIX cap. i.* & Periander conjugem, vid. *Diogenes Laerius de Virtute Philos. Lib. I pag. 57.* verum & sibi met ipsi violentas inferunt manus; quemadmodum *Johannes Langius in Lib. I epist. 38.* refert de agricola, qui cum crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum latere conficeretur, nec aliud fore doloris remedium, quam mortem suspicaretur, ira velut amens percitus arrepto cultello guttur sibi abscedit; & *Zacutus Lusitanus de Medic. Princip. Hisp. Lib. II. obs. 3.* commemorat servum, qui cum a domino acriter citra rationem objurgaretur, nec de eo posset sumere vindictam, ira excandescens, suborto subito generum rubore, torvo aspectu velut amens, verba pessima in dominum obmurmurans evaginato tenuissimo cultello, umbilico confosso mortem sibi pro vindicta concivit. Hinc ne in taliem furorem dilaberetur Augustus, sequens ei Athenodorus Philosophus valedicens reliquit præceptum: ὅταν δὲ γειθῆς, πάγσας, ὑδρεύεταις, οὐδὲ τοισι τέχνησι πρότερον, η ταῦτα εἴναι καὶ τέλεσαι γένεται διελθεῖν τοῖς ἑαυτοῖς ι. e. Cum iratus fueris, nihil neque dixeris, neque feceris, priusquam 24 literas tecum ipse percurreris; vid. *Plaut. in Apobegn.* Ut scilicet sub mora illa spiritus aliorum detemi-

terminati de concepto motu irregulari desistant, mentisque præceptis deinceps auscultent. Imo diuqñandoque perdurat furor, dum spiritus animales motum suum valide continuantes confusas excitant ideas; *Nam & plures visi sunt furore corripi verba sunt Galeni in Secl. VI. aphor. Comment. 28. qui ab excandeſcentia vel ira, vel mæſtria principium habuit, ipſo ſcilicet corpore tempore illo promte ſe habente ad incidentum in tales paſſiones.*

§. XV. De foemina quadam refert *Riverius Cent. II. obs. 9.* quod circa finem septimi mensis occasione quadam domestica in iram vehementissimam concitata fuerit, à quo post vomitum matutinum dolorem stomachi ICTERICA facta fuit. Cujus phænomeni ratio facile erui poterit. Oritur enim ieterus, vel quando propter spasmadicam duclum biliorum & hepatis contractionem bilis secretio in hujus acinis & excretio impeditur, ſic que biliosa particulae in M S. restitant, & æquilibrium tollunt; vel quando propter mixturam sanguinis turbatam eadem feorsim quasi fluctuant & præcipitanſur, quemadmodum à morsu aranearum, viperarum, canis rapidi &c. contingere folet; utroque enim modo nimia sanguinis exagitatio particulas crassiores flavas per totum corpus difundit, quæ ad capillaria delata vasa ob crassitatem suam in illis harent, hincque cuti flavum conciliant colorē, qui, imprimis in oculis, ob vasorum copiam, pororum constantiam & exilitatem & cuticulae investientis teneritudinem transparet. Et ab ultima potissimum cauſa in allegato exemplo concitatum fuiffe ieterum, exinde probabile est, quod alvus non fuerit adstricta, ſed liquida potius & biliosa. Sic quando eadem bilis ad ventriculum & intestina copiosius deponitur, ratione ſuæ acrimonie vellicantis in VOMITUS, ALVI FLUXUS & CHOLERAM coniūcere iratum valida est; exempla legi poſſunt apud *Barellum Cent. II. obs. 27. Hildanum Cent. I. obs. 18. Gabelchoverum Cent. VI. obs. 92. Paulinum in Observ. Medico-Physic pag. 75. Miscell. Nat. Curios. Dec II. Ann. V. annex. & Riedlin Lin. Med. Ann. IV. pag. 92.* Nec pauca prostant exempla iratorum in gravem COLICAM conjectorum, quæ vel à liquamine acri, ad duclum intestinale deposito, atque dolorem concitante, vel a spasmodicis intestinorum affecti-

bus in acceptum est referenda vid. *Gabelchoverus loc. alleg. Platerus Lib. II. obs. pag. 450.* & *Sydenham, oper. pag. 268.* quemadmodum & *Tulpius Lib. V. cap. 4.* VOLVULUM ex ira observavit. Iisdem spasmis HYSTERICA debetur PASSIO in iratis deprehensa mulieribus à *Montano Consil. gu. & Smetio in Miscell. P. III. epist. 7.*

§. XVI. Duo adhuc restant symptomata ab Authoribus annotata, eaque sibi maxime contraria, MENSUM scilicet FLUXUS, Eorumque SUPPRESSIO, quorum prioris exemplum exhibit *Riedlinus loc. cit. pag. 61.* de foemina, quæ ira accensa tantam prufudit per genitalia sanguinis quantitatem, ut residui quid in corpore restare, nisi vita superstes fuerit, quivis dubitasset; posterioris vero suppeditat *D. Kölcken in Act. Med. Hafn. Vol. II. p. 288.* in muliere, quæ consueto tempore tributum lunare solvens cum vicina sua altercari coacta erat, unde suppressis mensibus phrenitica facta fuit. Nimius igitur concitatur mensum fluxus ab ira, quando ebulliens, effervescens & rarescens sub ira sanguis vix intra cancellos & vasa contineri potest, sed qua data porta foras ruit, ita ut compesci vix queat, quemadmodum narium aliarumque partium HÆMORRHAGIÆ iratorum enormes quotidie obviae sunt. Sic vidi, dicit *Pechlinus Lib. III. obs. 25.* quibus ad iram paulo vebementiorem nares protinus flarent sanguine, etiam foeminas, quibus Naturalium hæmorrhagie ad ira impetus recurreret. Novum vero & insistarum Magistri equitum symptoma erat, qui cum sepe alias ad quamvis excandescientiam, cum maxime in prelio Ratenensi, dum cum hoste pugnaret, eumque occideret, tanto sanguinis ex aere profluvio, quod animi irati vebementia concitaverat, inundabatur, ut a suis post pralium agnitus & ipse graviter vulneratus crederetur, donec detractæ vester illæsum corporis habitum, aures autem ab hæmorrhagia sueta saucias ostenderent. Plura vid. apud *Hildanum Cent. I. obs. 18.* & *Cent. I. Epist. 1. Camer. Syllag. Memorab. Med. Cent. X. §. 56.* Supprimitur autem idem, vel quando sanguis & spiritus in motu suo aliquam recipiunt determinationem & à genitalibus quasi revocantur & avertuntur, vel quando spasmoticae contractiones vasculorum orificia, fibras porosque circa genitalia constringentes, nihil sanguinis amplius destillare permitunt.

§. XVII.

§. Sed an MORTE luere hunc affectum cuiquam contigit?
Ab ira nemo interit, utpote nec calore perfrigerato, nec ejus robore soldo-
to, diserte asserit Galenus de Symptom. Caus. Lib. II. cap. 5. cum quo
consentivint Zaccius Lusitanus Medic. Princ. Hist. Lib. II. Dub. VI.
Fortun. Plemius Fundam. Medic. Lib. III. cap. IX. pag. 225. Lochner. de
Apoplexia 76. Valeriola Loc. Commun. Lib. II. pag. 667. Verum enim
 vero immoderatam iram mortem s^ep^e accelerare pr^{et}er *Syraci-*
du effatum: *Zelum & iracundiam imminuere diem affirmantis Cap.*
XXX. §. 25. ex hac tenus allegatis exemplis constat, non parcas ra-
 rasve esse observationes illorum, quorum interitui ira primam
 suppeditavit ansam; Non immediate quidem, fatemur, semper
 iram mors secuta est; sed nec alii semper ex timore, gaudio &c. a
 quibus pathematibus homines interire, dicunt pr^{efat}i Authores,
 moriuntur, ita ut non aliis ante suprema fata subiecti fuerint sym-
 ptomatibus. Quid? quod *Hildanus de Gangrena & Sphacelo* cap. 21.
 duo referat exempla sub ipsa ira incandescencia mortuorum. Et
Zaccius Lusitanus Lib. I. de Prax. Med. admir. obs. 147. dicit: *Hanc*
(mortem) concepit quedam rixabunda & jurgiosa farnina in altam con-
tumelias jactans; hinc flagrabant oculi, labia quaticebantur, dentes com-
primebantur, manibus pedibusque pulsabat humum, facie fœda, indecora
aspetto, voce rauca & ex ejus ore exiliiebat quasi ignem spirans furor, hoc
horrido pathemate lassata diu accidente valida palpitatione subito extin-
cta est. Aliud exemplum vid. in *Valerio Maximo* loc. cit. Lib. IX. cap. 3.
 Rationem quæris, evolve *B. Langium*, qui in *Dissert.* III. pag. 45. hæc
 habet verba: *In gaudio nimio ex summa commotione & agitatione spi-*
rituum sanguis vehementius ac copiosius in cor propellitur, ex quo cum ad-
eo celeriter exprimi non posse, inundatione ista circulatorius motus suffla-
mingatur, vitaque depreditur. Maxime etiam idem judicium ferendum est
de ira defunctis, quamvis tam in hoc, quam precedente affectu fortasse
subinde etiam sanguinis stagnatio in Cerebro contingat, ex qua, principio
nervorum obstructio vel compressio, inflatus spirituum in cor ceterasq; par-
tes inferiores denegatur, hinc mortem insequiri necesse est.

§. XIX. Mittimus alia symptomata, quæ quandoque ni-
 miam excandescientiam presso pede insequi solent. Ex hac tenus
 enim dictis quilibet intelliget, unde horrenda insomnia, vigiliae
 &

& erysipelas sint deducenda, abortus caulam cognoscet, quem ira effectum dicit Galenus Lib. V. aphor. comment. 45. & 53. conf. Misel. Nat. Curios. Dec. II. Ann. I. pag. 252. phrenitidis ortum in comperto habebit, cuius exempla Act. Med. Hafn. Vol. II. pag. 138. & Cmerarius loc. cit. Cent. X. hist. 52. § 5. commemorant; nec obscurum ei erit, quomodo ex hoc affectu acidularum operatio impeditatur, quale exemplum apud Riedlinum l. c. Ann. VI. pag. 180. legere licet.

§. XIX. Vidimus noxas, quas effera ira producere apta est; pergendum nunc ad commoda, quibus se quandoque eadem commendasse observata fuit. Ira equidem a vulgo inter illos refertur affectus, qui sanitati maximas struunt insidias, labascienti autem eidem opem ferre capaces neutquam sunt. Ast Medici retius, quemadmodum reliqua animi pathemata, ita & iram inter res non-naturales referre solent, quarum scilicet usus vel legitimi vel perversus valetudinem humanam modo concutere, modo restituere potest. *Ira compressa* iuxta Francisc. Baconem de Verulamio in Historia Vitae & Mortis p. iii. esse iam vexationis genus, & spirituum corporis succos carpere facit. At sibi permissa & foras prodicens juvat, tanquam medicamenta illa, quae robustum inducent calorem. Et quis queso est, qui neciat, dari homines, qui nisi quotidie ira excandescant, male se habent? an quia particulæ heterogeneæ sub intensiori hac sanguinis ebullitione ad habitum deponuntur & sub insensibili transpiratione vel alia secretione ex corpore proscribuntur? an vero, quia per naturam torpidus sanguis hoc modo magis movetur, attenuatur, & ad secretiones rite præstandas disponitur. Habet enim se ira instar venti, qui quam impetuosus etiam fuerit, vapores tamen & nebulas discutit, aerem purgat, purumque & vitalitati magis congruum reddit.

§. XX. In specie Iram ~~rituitosis~~ minus nocere, sed quandoque utilem esse, ut per ipsam debilis calor augeatur, pronuntiant Moebius Epitom. Institut. Medic. pag 522. & Plempius Fundam. Med. L. III. cap. 9. Clauderus in Miscell. Natur. Curios. Dec. II. Ann. V. obs. 196. Iram quod attinet, dicit, tum alias, tum me ipsum Praxis docuit, personis in senio constitutis bac mediante balsamum vitalem quodammodo

do

do recividere. & in actum reduci, cum ira mucosa phlegmatis visciditas illam quasi suffocans ventiletur, & calor innatus senitus sit equiparandus Lapii pyriti, scintillas ignes non nisi ferro fortiter percussa sib[er] argenti & communicanti. Dicta autem incandescentia moderata & lenior, nec frequens esse debet, flammulam alias lucis innatae jamjam semimortuam subito extingveret. Ad bac spiritus cordis ac cerebri confortante aliquo sunt iuvandi. Quoniam autem corpora levia celerius in motum rapiuntur, & citius rursus subsistunt, ut in pluma videre est; contra crassiora solidioraque diutius quidem reluctantur, agitata tamen majori cum violentia & diurniore mora cursum suum peragunt, in plumbeo globo etormento eliso cernitur; sic biliosi sunt quidem in iram proniores, sed statim rursus placantur; melancholici autem omnes, qui crasso sanguine sunt instructi, non facile quidem irascuntur, sed ira illorum vehementior est & diurnior. Quicquid igitur Ira pituitosis conferre potest, in eo consistit, ut motu spirituum & sanguinis intendendo crassas, viscidasque humorum particulas attenuet, incidat, mobiles magis reddat, & obstrunctiones referet; Respexit huc divus noster *Cous in Epid. II.*

Sect. IV. Nam inquit: οὐτις θένειν ὁ ξύθυμον ποίειν, νοὶ χειρατοι ἀναλύσος ενεκά τε ἐγχυμός, i.e. diligentia adhibenda, ut ex-candescentia inducatur & coloris reparandi & sanguinis in vasa subter cuticulam colligendi gratia. Cujus moniti memor *Olaus Borrichius* foeminam illustrem FEBRE TERTIANA detentam & omnia medicamenta responentem lagenis aqua calida ferventibus circa illam positis ad iram commovit. Nec sefellit augurium. Cessavit febris e vestigio & illa licet magnoperc ferociente, quievit, nec unquam postea reversa est. vid. *M. siell. Nat Curios.*

Dec. I. Ann. III. obs. 238. Et *Franciscus Valerivius* L:b II. obs. 4. hæc habet verba: QUARTANA affectum Jacobum Bannum in vehementem iram meo consilio a suis accensum curatum exemplo vidimus, cum nulla antea medicamentis cœsset morbus. Ino nos imus, dicit *Moebius* loc. cit. qui ex largiori sanguinū venæ sectione, profusione nimium refrigerati calorem ira concitatae receperint.

§.XXI. Ex eodem fundamento PARALYSIN ab ira solutam legimus

D

mus

mus. Sic modo laudatus *Valeriola loc. cit.* refert: *Ego mirum quid vidisse in Consobrino meo Job. Sobiratio restari plena fide possum, qui cum Avenione convulsus annos plurimos fuisse, ita ut contractus poplitebus ingredi non valeret; Repentinavia eaque vebementi percitus in famulum plagiis cædere nitebatur, si a corpore exagitavit, ut confessim distentia crurum nervis poplitebusque emollitis & sine ullo doloris sensu incedere & erectus stare, cum incurvo corpore annos toros plus minus fex constitisset, posset; deinceps per totam vitam sanus evasit.* Ut quem non operosa medenium manus, non accurata Medicorum diligentia, non ulla Medicamentorum genera curare potuerant, sola ira naturam exigitans persanavit. Spe-
Etat hoc consilium *Cratoni Lib. VI.* Principi cuidam paralyti-
co datum, in quo præter alia leviora excandescientiam ei commen-
daverat. Similia refert *Horsius Lib. XI. obs. 15.* Et quid de **APHONIA**
& **LOQUENDI DIFFICULTATE** dicam? Athin Croesi filium, viro ir-
ruente in Patrem minaci Persa, cum antea mutus exegisset vitam,
ira & metu perculsus dixisse: *Homo ne perimas Croesum:* & post-
modum per omne vitæ tempus vocalem extitisse, ex Herodoto ha-
bemus. De Hafniensi quodam refert *Borrichius*, qui per infortu-
nium toto quadriennio mutus conspecta vetula sibi forte obvia;
& ob inimicitias funestas jam olim sibi invisa, toto animo exarde-
scens & vindictæ accensus cupidine; *Ut Te, dixerit, Dii Deæque o-*
mnes perdant, benefica, vld. *AET. Med. Hafn. Vol. I. obs. 71.* Sic **Ægles**
Samius athleta mutus, cum ei victoria, quam adeptus erat, titu-
lus & præmium eriperetur, indignatione accensus vocalis eva-
sit vid. *Valerius Maximus loc. cit. Lib. I. cap. 8.* Et *Cassar Bugatus Lib. His-
tor. 7.* scribit. Muccium Sforciam à primo ortu in loquendo vi-
tium habuisse, ut non sine notabili impedimento loqueretur, at-
tamen die quadam cum maxima excandescientia detineretur, ira-
que animum occupans linguæ impedimentum augeret, tanto co-
natu impetuque commotum fuisse, ut posthac semper multo ex-
peditius loqueretur. Utrobique enim impedimenta & obstru-
ctiones per concitatiorem spiritus & sanguinis motum fuere re-
mota.

§. XXII. Quid de **ARTHRITIDE** dicam? *Podagricum, virum e-*
magis

Ego mirum quid possum, qui cum strati populis rebus in famulam in disensu crurum cedere & distus emittit, posse eros amendium dedicamentum sanari. Spadram paralyticam ei commen- de APHONIA um, viso ir- iflet vitam, n: & post- Herodoto ha- per infortu- forte obvia; nimo exarde- Dii Deque o- n. Sic Agles tus erat, ti- vocalis eva- Bugatu Lib. quando vi- eretur, at- eretur, ira- et, tanto co- er multo ex- tra & obstru- in fuere re- m, virum- radit-

ruditum, Dn. D. Ellenbergerum p. m. Illustr. Administr. Magdeburg. Hale Saxonum Archiatrum per celebrem Chimiaturum Grafebeccium olim injuriosis verbis affectum memini inquit Horstius Lib. XI. epist. 15. qui per iracundiam de lecto surrexit & injuriantem sic verberibus exceptit, ut fuga sibi consulere cogeretur, doloribus saepissimis podagrericis ita sopitis, ut longum post tempus recidivam non patetur. Et Libavius de Cruentatione Cadav. pag. 302. Hominem arthriticum aliquando se novisse testatur, qui cum egredi, nec crura movere valeret, concitatus tamen ira crura extendebat & ad offendentem uxorem per medium solus cubiculum percurrebat. A vellit enim sanguis cum impetu ad articulos propulsus particulas heterogeneas, tartareas, ceu vocant, ad eosdem depositas, fibrasque distententes, lacerantes, pungentes, laciniantes abripit, fundit, secum dicit & vel per insensibilem transpirationem vel alia secretoria e corpore eliminat, sicque sublata causa cessat quoque effectus seu dolor.

XXIII. Quin imo & alvum movisse iram critice observantes testantur; sic Hildanus Lib. 1. obs. Cbir. 18. Matronam, dicit, honestissimam & piam cognovi! Dusseldorfia, qua adeo a Pharmacie abhorrebat, ut mannam aut syrumpum rosaceum vix potuerit sumere. Contra tali natura beneficio erat predita, ut ex minima etiam animi perturbatione, praeципue ex ira alvus adeo subduceretur, ac si pharmacum quantumvis efficax sumisset. Et Riedlinus Lin. Med. Ann. IV. pag. 914. Hinc aliis iratis, modo modum non excedat, tale alvi profluvium salutare esse soleat, uti quidem, dum hac scribo, Mercator quidam testatus fuit. Blis enim sub ira in majori quantitate ad intestina effusa horum membranas enormiter stimulat, ad sui contractionem & foecum ejectionem, forsitan etiam à solis spasmis intestinorum tubus angustatur, & sic, quicquid in eo continetur, exprimitur.

XXIV. Sed perquam bene allegatus Riedlinus huic observationi sequentia sub jungit verba: *Quia tamen ut modum servet, in nostris non est viribus, semper prestabit, ab ira sibi temperare, quam tam periculose alvum movere.* Idemque de reliquis affectibus, in quibus solvendis natura operam suam sub ira commotione praestitit,

sentiendum est. Natura enim arte potior existit; quemadmodum Magnificus noster Decanus in *Dissertatione superiore* anno habita de *Arte Naturæ amula fusi*s edocuit. Quanquam enim podagram a natura sub ira effervescentia curata in supra pronuncia verimus, tenenda tamen sunt verba *Excell. Bohnii. loc. all. §. 41.* *Arbitrica recrementa natura sibi relata ad juncturas extremorum destruit,* & quidem sub remissione & subsidenzia turgescientia ac moleſtarum; temere contra ac frivole ut plurimum agere reprehenditur Medicus, qui doctores articulorum ut interpellat, vel arceat, vel materia peccantis metastasis festinet, sudorifera propinal; (vel iram concitat) symptomatio nempe prælinis recrudescenibus ac ingravescenibus magis (vulga air, mann hat thh das Zupperlein in Leib getrieben) heterogeneitasibus nempe arbitricis secretis & quasi condensatis ab usu diaphoreticorum (vel ab ira concitata) denuo solutis & ad massam sanguineam l. generis nervosi fluidum redditis bisque confusis. Apposite hanc in rem Pechlinus l. c. Plurimis certe improvisa illa magis utilia fuere, quam que sollicitate excogitata erant. Imo vero, ut ad inopina quoq; ira converritur, ita fortunæ casus, ut laborantis ingenium affectus bujus momenta & gradus regere ac determinare solet. In universum autem non tam in initio, quam fine morbi, & absunta jam parte humoris dolorifici remedia ejusmodi profuere. Atque si animi affectus ipsamque iram ad usum suos transferret, subitorum casuum morborumque conditiones mirifice cognitas habere oporterer, ne tristior eventus novitatem anticipetis remedii famam sanantis in discrimen adducere videretur. Itaque qui sanati fuere, affectuum ingenio, fuere autem plurimi plerique omnes cum a clementate, tum a fortuna adjuti sunt. Ita ut mirari potius quam imitari exempla hæc deceat.

XXV. Hæc sunt, L. B. quæ de ardua hac materia balbutire impræsentiarum licuit. Nec quicquam restat, quam ut quosvis sanitatis bonorumque morum studiosos etiam atq; etiam moneamus, ut sub rationis directione affectui huic moderentur, aurea Job Tackis in *Chrysogonia animali* & minerali pag. 69. verba in aures eorum fusurantes: *Uti voluptas in porcos, sic iracundia in leones & tigres, & his crudeliores plerisque transformat. Deest iracundia charitatis*

tas, deest justitia, modestia, patientia, humilitas, quies, magnanimitas, offabilitas, gravitas, misericordia; moderata ibi nulla, binc & virtutes nulla. In incensa iracundia domo babuant; Ignibus, fumo, vento & flammis undique circumsepti: Ira pleurefis est, continuo pungens; cauterium continuo arens, febris continuo phantasia turbans: phrenitus, continuum delirium suscitans; peripnevmonia letalis, spiritum auferens. Angina fauces precludens; saliva virulenta canis, hydrophobiam induens. Et quid memoro? crudelius a se invicem distractabuntur, qui subjugent irae. & vincuntur hoc affectu, quam Merius Suffetius, qui quadrigis in diversum tractis corpus divellendum prabuit. Phactoni similes sunt, qui incertus, quo equos suos dirigeret, ab equis suis abruptus pernotum accedit orbem, seque ipsum perdidit.

F I N I S.

Quid doctrinarum juvat omnes nosse recessus,

Site non scriptis plurima nosse probes?
Hoc facis. Ingenium chartis spirantibus orbi

Niteris eximias pandere mentis opes.
Gratulor & fortis tolerati mente labores
Inveniant, opto, premia digna tui.

Hic animitus gratulari voluit

D. Johann Caspar Grimm.

Ira

IRa furens quot sit, demonstras, causa malorum,

Sed dum demonstras, est Tibicausa boni.
Namque Tuis studiis probus anne irascitur ul-

lus?

Applaudunt omnes, ingenioque favent.

*Paucis hisce Nobilissimo DN. Authori,
Amico suo validissime dilecto applau-
dere voluit ex animo*

Præses.

IRa malum est, quo non aliud violentius ul-

lum:

Ira hominem totum se male habere facit.

Ira homines usu rationis reddit egentes:

Ira hominum multis lethifera esse solet.

Iram describit Tua Dissertatio, AMICE,

Datque iracundis optima consilia.

Sic, modo qui nostra G E B E H A R T ex urbe
migrasti,

Paulum mutato nomine sis GEBERATH.

Con

caula malo.
ula boni.
rascitur us-
favent
N. Autori,
eo applau-

Consiliis medicis ut post benedicat Jova,
Pectoris ex imo, SVAVIS AMICE, precor!

Hec in honorem Nobilissimi Dn. Re-
spondentis, Fautoris atque Amici
sui estumatisimiscribebat

Henricus Schrhardt,

Erff. ad S. Mich., Rector.

N Um strigosa crepem fallacis nescius auræ,
Quando, GEBHARDE, tuum nomen in urbe canam?
Non. Scit quisque etenim quæ sit solertia culti
Ingenii, valeat quo comes artis opus.
Prædicat haut quicquam Non Ens. Sit gratia verbī:
Is neque Davus erit, qui Oedipus extiterit.
Facta virum, non dicta probant: ast utraque præstant.
Hoc tua Musa gradu docta per ora meet.
Extendet late Nomen sociata Prudentum
Ordinibus Medicum. Grator, Amice, Tibi.
Doctis conde diem curis: tua pectora firma
Præsidio Clario, quod Philyrea tenet.
Persta atque obdura: feriet sic sidera Virtus
Enthea: sic vitam Fama superstes aget.

In simplici amicitiae symbolum conterraneo
bac suo gratulabundus deproperabat

Henricus Huthius.

Undi-

Undique bella tonant, & ubique vocatur: ad arma
Et pugnant frontem rectere fronde Duce.
Tu quoque bella moves, Juvenum Flos Optime, toto
Pieridum vires consociante choro.
Bella moves ira, prudenter consulis ire,
Quoque modo cuivis sit medicanda, doces.
Magna doces, praelata doces. Qui ducitur ira,
Servitii cogitur turpe subire jugum.
At quisquis mentem norit motusque domare,
Is velut ipse sibi rex suis esse potest.
Fortior est, quam qui ferro sibi subjicit hostem:
Quid? quod nec virtus altius ire potest.
Hinc Tibi, cum doceas ire superare furorem,
Fronde brevi laurus tingeat Apollo comes.

Gratulabundus hac adjicere debebat

Johann. Adam Weber/
Lauchensis Thuringus.



Holzsage Haußmehl

01 A 6505


f



nur 10. Stck 7A-706
bisher verkaugt

KD 18 WDT

Farbkarte #13



B. B.
TATIO MEDICA
DE

R A

Quam
sissimæ Facultatis Medicæ

In
PHILYREA

PRÆSIDIO

MÆL.ERNESTI
MÜLLERI,

Ct. hujus Professoris Publ. Extra-
d. Nat. Curios. Collegæ,
utoris & Præceptoris sui
oris cultu devenerandi,
niliatrorum ventilationi

exponit
Septembr. Anni MDCCV.

L. Q. C.

RESPONDENS

IST. GEBHARDUS,
Erfordiensis.

IPSIAE,
NÖENBURGERIANIS.

48
38

XV